

EPISTOLA

mitati remedium creare noluisse censebitur? Aut quomodo, cum placuerit cum morte temporali, omnes morborum species in hominem immittere, ob vindictam: non voluerit omnium remedia creare, ob misericordiam et bonitatem? Imò et voluit, quia misericors, bonus, et iustus: Et potuit, quia omnipotens: et sciuit, quia ipsa sapientia est. Creauit ergo proculdubio medicinas tollentes Podagram, Paraly-  
sim, Hydropem, Quartanam, Hecticam, et cæteros morbos: creataque ab initio ad nostra etiam usque tempora conseruat: conseruabitque ad finem mundi:

*Medicorum veterum capitalia mala.*

1. *Neglectus Dei.*

2. *Neglectus magnalium.*

Quòd autem eas ignorent medici, primum facit *ἀθεότης* ipsorum: parum siquidem curant Deum: minus proximum: maxime pecuniam. postea supina negligentia in inquirendo Magnalia Dei, et secreta naturæ. Quomodo enim inquirent eius magnalia, quem ipsum aut esse non credunt: aut non cognoscunt: aut parum curant. Hypocrates quidem monet, cognoscendum esse Medico, si quid sit Diuinum in morbo: Verum ne is quidem Deum cognouit, nedum alij eius sequaces. Posteriores vero, etiam si cognoscunt, cognitum tamen negligunt. Gentilibus Stagyrîtæ Aristotelis disputationibus, et Galeni dictarijs, Hypocratisque aphorismis, si satis volubilem linguam habuerint: satis est ipsis ad titulum; satis est ad pompam. Teneras manus laederent, si